

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro 49. ( *Neovidensis Nro 72.* )

---

*Nigri dominator averni Edictum tulit, ut hic sermo politicus ad praesentem annum, ejusque socios directus quam ocysissime cum terrigenis communicetur.*

---

Elysium -- Meum. -- Die Martis 18. Sept. 1804. (Neov. 4. Sept.)

---

#### Sententia :

*Deus quidem est optimus Pater, attamen nequit omnium cupiditati satisfacere.*

*Centum annorum Calendarium pag. 62.*

**N**on est mihi hodie propositum omnes illos millenos annos, qui inde a condito orbe in numerum defunctorum, seu quod idem est, in voraginem æternitatis demigrarunt, vel, ut me clarius exprimam, præcipitati sunt, cogitatione perlustrare; In una hodierna æra christiana videlicet, anno 1804. defixus hæreo, in hunc præsentem annum mea se potissimum convertit oratio. O miserum 1804-tum annum! tibi hodie tanquam delinquenti ante cancellos comparendum est, tibi excipienda accusatio, quam contra te instituit orbis universus.

Ajunt te anima Bajazeti, aut Tamerlani, aut Mulai Ismaëlis, aut alterius alicujus ejusmodi excellentis bestiae præditum esse. Exhibuisti te in magnifico splendore ubertatis; Agri, & campi promittebant omnis generis abundantiam, graves spicae incliabant capita, veluti saltus magistri humanitatem contestaturi, ad maturitatem, jamque rationes inibant famelici Europæi una cum divitibus argentariis, quoniam sint conversuri pecunias ex divendito frumento redituras. Jam vero perpendito tu infelix 1804-te aë, quomodo abjecerint animos, dum tuum supremum Ministrum, excoctorem mensem Augustum ad nos misisti, qui suo Coci officio pessime functus est, nam cum coquere debuisset, pluviarum imbres in nos effudit, quemadmodum faciunt Cocæ, quæ adempto carni bono jusculo aquam superfundunt. Hinc factum est, ut grana constanter madefacta incæperint in agris germinare, vinum autem, quod, ut maturitatem assequatur, hoc mense sitire debet, nolens volens potationi se tradiderit. Sic omni spe, quæ nos alebat, recreabatque, sumus frustrati, merito ergo consurgunt undique, qui te accusent, & in ultimam classem pessimorum annorum retrudant.

Qua excusatione propulsas accusatorum impetus anne 1804te? Nonne hæret aqua? Macte animo, tuam causam defendendam suscipio. Si enim Romæ, in loco Ecclesiæ sanctissimo, homini insigniter

nequam, & instar Diaboli scelesto, de ejus malitia in antecessum constat, datur Advocatus, ego non possum tibi, utpote longè meliori, & honestiori subdito Saturni meum patrociniū denegare, ne videlicet inauditus condemneris. Tametsi autem ignorem technas Advocatorum, rectè tamen cogito, & certe bene tibi volo. Defensionem itaque tuam aggredior: Vos interea Auditores dicentem benevole audite, & favete.

Primum statim argumentum, quo possim omnibus querulantibus ora obstruere, invenio in centum annorum fastis, in his enim ita habetur: Deus quidem est optimus Pater, attamen nequit omnium cupiditati satisfacere. Illud ergo, quod Deus non potest, exigamur ab anno 1804? Vos ipsos appello Auditores, dicite. Estne in potestate Hortulani positum, omnes plantas, & herbas, etiamsi eas in calefactoriis asservet domiciliis, ab omnibus morbis, & insectis salvas conservare, efficereque, ut eodem tempore pullulent, & nulla ante tempus pereat? Non fundunt duo nautæ preces, & qui ad orientem, & qui ad occasum navigat, ut quilibet secundum habeat ventum?

At non in hoc solo consistit mea defensio, sunt alia plura beneficia, quæ ab hoc accusato in nos profluxerunt; ob oculos ea vobis ponam. Fuitne unquam annus naturæ productis isto benignior, & nunificentior? Anno præterito ingentem nobis inoussit sollicitudinem defectus fœni, ne no-

stri equi, boves, & vaccæ fame pereant; Me præterea sæpissime sollicitum habuit observatio, ne lac ex penuria cordi attenuetur, nostrisque prolibus, quæ inde victitant, non nisi aqueum tribuat nutrimentum, tale enim eam vim habet in ingenium illarum, ut nulli solidiori Philosophiæ condiscendæ habiles fiant. Omnes has curas dissipavit annus 1804. Et, ut verum dicam, plus adhuc cordi, quam scæni est progneratum, ideo proles, & vituli firma alimenta habent expectanda.

Quod autem universalem hominum progressum in genere rerum ad esum pertinentium attinet, præsens annus se præ cæteris distinxit. Considerate solanum tuberosum. Nonne ita magnifice collocatum stat, sicut in optime ordinata bibliotheca libri, in viridibus suis involucris? Anne non sedet in magnis suis rubris, & albis tuberibus, uti Præsides in sellis brachiatis? Non animadvertiturne non quidem numerosæ familiæ, at copiosis fructibus dominari instar Meleagridis, quæ sua ova exclusura putatur? Quantas hinc dapes habebunt homines, & animalia, Philosophi, & rustici, Potentes, & pauperes!

Objicitur huic anno, quamvis scænum, cordum, & solanum tuberosum in abundantia produxerit, vineas tamen esse ab illo penitus neglectas, copiosas enim immisit in eas pluvias, ut omne lucrum, quod inde sperari poterat, in nihilum reciderit. Enim

vero habetne hæc accusatio, verum fundamentum? Quantum, proh dolor! conjectura assequi licet, in hoc consistit, quod studium lucri, cupiditas habendi, sceneratio, & auri sacra fames nondum cesset homines ad incitas redigere; Ego quidem non ausim affirmare, pejora fuisse aliquando tempora; qui contrarium voluerit evincere, viderit, unde possit in rem suam argumenta conquirere. Nimirum pecuniosi homines argentum jam coacervaverant, ut vinum, quod tunc lætissime germinabat, coemerent, reposituri ad cellaria, ut illud subinde ingenti cum usura abalienarent; Sed benignus iste annus invertit eorum consilia: Vos nummatus ego, inquit, capiam, non subministrabo vinum optimum, sed tantum bonum & potabile, officio mensis excoctoris fungetur September. Dictum, factum. Vinum erit popolare.

Præter hæc amplissima sceni, cordi, solani tuberosi, & vini dona accedit etiam id, quod sit revera Cæsareus annus, Imperatorum ferax. Eo regnante duo novi Cæsarei throni consurrexerunt, & quis divinabit, quot adhuc sint nascituri. Et quod jucunditatem parit incredibilem, per continentem nullus est metus belli, uti hoc Parisinus Monitor in honorem labentis & futuri anni præclare & eleganter vi officii insinuat.

*Dixi.*

Ita autem habent nova Parisina: Duo ærarii publici Ministri, quibuscum Impe-

rator plures dies laborando insumsit, redierunt Bononia. Exposuerunt illi statum ærarii anni 13. & reditus, atque expensas anni 12. Ex quibus patet, magnos quidem fieri sumtus, attamen longe majores esse illorum percipiendorum fontes, ut adeo nullo sit opus extraordinario subsidio, nullo novo tributo. Est autem calculus initus tam pro pacis, quam belli necessitatibus.

Utroque proxime elapso anno noster exercitus per consuetam conscriptionem ita est auctus, ut modo plures numeremus milites, quam anno 7. Reipublicæ, quo Germaniam, & Italiam inundavimus.

Verum quidem est, nostras expensas, partim in exercitum terrestrem, partim in rem maritimam factas efficere plus quam 700 Milliones. Sed etiam reditus nostri de anno 12 superarunt 750 Milliones, & pro anno 13 certi sumus de 700 Millionibus, & ultra.

Hic manifesta fit sapientia, & prudentia administrationis. Etiamsi bello terrestri implicaremur, uti factum est tempore belli coalitionis anno 7. nullis tamen egeremus sive novis vectigalibus, sive extraordinem facienda collectione militum, usitata, & lege sancita conscriptio abunde sufficeret.

Postquam observatum fuit, magnam vim pecuniæ efferri in Europam ex Anglia eo fine, ut a periculo, in quod a suis Ministris erat conjecta, liberetur, pronum, erat judicare, si non verisimilem, possibi-

lem certe esse casum, ut quædam potentia ad ejus partes permoveatur, & ut vindictam spirantes affectiones nonnullorum in terra firma degentium consilia conentur interturbare. Itaque prudentis gubernii intererat, redituum publicorum fontes augere, equitum, peditumque copias contrahere, ut, si bellum oriretur, non debeat ad nova remedia sive relate ad desumenda tributa, sive ad conscribendum militem recurrere, Hæc enim semper perturbant civitatem, eorumque commoda, cum incommodis nequeunt venire in comparisonem.

Qui judicant nos orto terrestri bello in novis vectigalibus, in collectitia hominum multitudine refugium quæsituros, argumentantur ab illa epocha, in qua Gallia rectore caruit, dum Directores momentaneis necessitatibus pressi, eas nec in calculum vocare, nec prævidere poterant, tunc ob imminens bellum negotia interna dilata sunt, dumque bellum terra gerebatur, nulla fuit cura rei navalis, & vicissim fervente bello maritimo, negligebatur terrestris exercitus. Non ea est modo rerum conditio in Gallia; Summa habetur ratio copiarum terrestrium, ac si maria omnia forent pacata, & res maritima ad eum perducitur florem, ut videamur carere posse legionibus terrestribus, uno autem, eodemque tempore ita tractat gubernium negotia interna, acsi illi nec res navalis formanda, nec miles ullus esset intertenendus. Nullo unquam tempore, testes

appello annales Galliae, tantum pecuniae est profusum in extruendos portus, canales, pontes, & vias, & tamen, ut operi finem imponam, tributa imminuuntur, suntque minora, quam unquam fuerint. Hoc ultimum singularem meretur Historici attentionem.

Interim fatendum est, sapientia potentiarum in continente regnantium, necessitate pacis, quam tota Europa anhelat, invicta fortitudine minime venalium. Ministrorum gentium nobis finitimarum, quae solae possent nos serio implicare bello, factum esse, ut multae circumspectionis regulae superfluae evaserint. Et reipsa conjunctio nostra cum Borussia, & omnibus Germaniae Electoribus sit quotidie firmior; Cum Austria in amicitia, & fide manemus; Cum Danis nobis bene convenit, at, quid molitur Rex Sueciae, nihil pensi habemus; Cum Porta Ottomanica, Hispania, Portugallia, & Provinciis Americanis vivimus concordissime.

Haec est vera praesentium rerum facies, quam detegere oportuit, & opponere rumoribus, quos spargere amant lucrum quaerentes ex metu, & perturbatione civium.